

Epistola ad Petrum Panormitanum Ecclesie Thesaurarium

[Page 169]

PISTOLA AD PETRUM PANORMITANE ECCLESIE THESAUARIUM

DE CALAMITATE SICILIE

Disponebam, Petre karissime, post yemis asperitatem clementioris
aure beneficio mitigatam, letum aliquid ac iocundum
scribere, quod tibi quasi quasdam renascentis veris primitias
dedicarem. Sed audita morte regis Sicilie, intelligens ac mecum
reputans quantum hec rerum mutatio calamitatis afferret, quantum
illius regni quietissimum statum, vel hostilis incursus procella
concuteret, vel gravis seditionum turbo subverteret, repente consternatus
animo cepta deserui; versaque in luctum cithara, malui
flebiles modos et lamentationum lugubre carmen ordiri, licet repurgati
celi blanda serenitas et hortorum ac nemorum amena
facies importunam animo letitiam ingerentes, ad aliud me conentur

[Page 170]

abstrahere et flendi ac lamentandi propositum impedire. Quis enim
lamentationi locus est aut querele, aut quis intempestive fluentibus
non offendatur lacrimis ubi iam annus pruinose senectutis detersa
canitie grate denuo iuventutis pubescit in florem et hybernis frigoribus
succedens verna temperies, feriatas avium fauces ad intermisso
suavitatem modulationis invitat? Verum quia difficile est in morte
nutricis alumno persuaderi ne lugeat, non possum, fateor, lacrimas
continere, non possum desolationem Sicilie que me gratissimo
sinu susceptum benigne fovit, promovit et extulit, vel
preterire silentio vel siccis oculis memorare. Intueri michi iam
videor turbulentas barbarorum acies eo quo feruntur impetu irruentes,
civitates opulentas et loca diurna pace florentia metu
concutere, cede vastare, rapinis atterere et fedare luxuria. Ingerit
se michi et lacrimas a nolente future species calamitatis extorquet.
Occurrunt hinc cives aut resistendo gladiis intercepti, aut se dedendo
misera servitute depressi; illinc virgines in ipsis parentum conspectibus
constuprato; matrone post varia et pretiosa capitis, colli ac
pectoris ornamenta direpta, ludibrio habite et defixis in terra oculis inconsolabiliter deplorantes venerabile fedus coniugii
fedissime
gentis libidine violari. Nec enim aut rationis ordine regi, aut miseratione
deflecti, aut religione terrori teutonica novit insaniam quam
innatus furor exagitat, et rapacitas stimulat, et libido precipitat.
Hec autem in Apulia vicinisque provinciis geri, licet horrendum
ac triste sit facinus et multo cum merore deflendum,

[Page 171]

ut cuique tamen tolerabile putaretur, si in cisfarinis tantum partibus
barbarorum immanitas desevisret. Quod si beatam illam
insulam, omnibus quidem regnis et preclaris dotibus et meritis
amplioribus preferendam, vis procelle sevientis irrumpat, si iocundum
otium et quietem omni voluptatis genere gratiorem armorum
fragor importunus conturbet, quis iam animo poterit imperare ne
dolendi modum excedat? quis non totus in lacrimas defluat
cum iam apparere ceperint vastitas urbium; civium cedes; fedata
pulvere senum reverenda canities; matrone pro sericis saccis
indute; pueri puelleque barbare lingue stridore perterriti omnesque
omnino indigene de multa rerum copia ad ultimam egestatem,
de gaudio ad merorem, de gloria ad ignominiam, de summo felicitatis
culmine ad extreme miserie dispendia devoluti? Atque
utinam Constantia cum rege teutonico Sicilie fines ingressa perseverandi
constantiam non haberet, nec ei daretur copia Messanensium
agros aut et Ethnei montis confinia transeundi! Hiis
enim in locis aptissime gens illa consistat, ubi et cum crudelitate
piratica Teutonum configlat atrocitas, et inter ambustos lapides

[Page 172]

et Ethne flagrantis incendia gens dura et saxeа sevientis
iracundie flammis exestuet. Nam interiora Trinacie loca, eamque
maxime partem quam nobilissime civitatis fulgor illustrat que
et toti regno singulari meruit privilegio preminere, nepharium
esset et monstro simile vel barbarorum ingressu pollui, vel irruentium
terrore percelli, vel predonum rapinis exponi, vel omnino
peregrinarum legum barbarie conturbari.

Nunc michi velim edisseras: ad quem intelligis finem rem in
tanto discrimine peventuram, quoве putas Siculos usuros consilio?
Utrumne regem sibi creandum existiment et collectis
viribus contra barbaros dimicandum? An vero rei diffidentia et
insueti laboris odio, tempori servientes, malint quodlibet durum
servitutis iugum suscipere quam fame et dignitati sue et patrie
libertati consulere? Ego quidem hec tacitus dubia mente pertractans,
dum variis hinc inde rationibus distrahor mecum ipse
dissentio, nec satis liquet utrum horum eis censem amendum.
Certe si regem sibi non dubie virtutis elegerint nec a Christianis
Sarraceni dissentiant, poterit rex creatus rebus licet quasi desperatis
et fere perditis subvenire et incursum hostium, si prudenter
egerit, propulsare. Si enim amplioribus stipendiis militum sibi,
favorem conciliet, si collatis beneficiis animos plebis alliciat, si
civitates oppidaque maritima diligenter premuniens, in Calabria
quoque presidia per congrua loca disponat, Siciliam Calabriamque
tueri poterit, ne in ius et potestatem transeant barbarorum. Nam
in Apulis, qui semper novitate gaudentes novarum rerum studiis
aguntur, nichil arbitror spei aut fiducie reponendum, quos si coactis

[Page 173]

copii ad pugnam iusseris expediri, ante fugere plerumque
incipiunt quam signa bellica conferantur; si munitionibus servandis
preficias, alii quidem alios produnt et hostes, ignorantibus aut resistantibus
sociis, introducunt. At vero quia difficile est Christianos
in tanto rerum turbine, sublato regis timore, Sarracenos non opprimere,
si Sarraceni multis illorum iniuriis fatigati ab eis ceperint dissidere
et castella forte maritima vel montanas munitiones occupaverint,
ut hinc cum Teutonicis summa sit virtute pugnandum,
illinc Sarracenorum crebris insultibus obviandum, quid putas acturi
sunt Siculi inter has depresso angustias, et velut inter malleum et
incudem multo cum discrimine constituti? Hoc utique agent quod
poterunt ut se barbaris miserabili conditione dedentes in eorum se
conferant potestatem. O utinam plebis ac procerum Christianorum
et Sarracenorum vota convenient ut regem sibi concorditer eligentes,

[Page 174]

irruentes barbaros totis viribus, toto conamine totisque desideriis
proturbare contendant! Heu misere conditionis et dampnate sortis
insula, que sic alumpnos nutris et provehis ut cum in optatum
robur excreverint, prima ex te virium suarum experimenta capiant
et uberum tuorum pinguedine saginati, viscera tua recalcitrando
discerpant! Sic olim plurimi tuo in sinu tuisque in deliciis
enutriti, multis te postmodum iniuriis et multis preliis afflixerunt.
sic et Constantia, primis a cunabulis in deliciarum tuarum affluentia
diutius educata tuisque instituta doctrinis et moribus informata,
tandem opibus tuis barbaros ditatura discessit, et nunc
cum ingentibus copiis vicem improbam tibi redibitura revertitur
ut pulcherrime nutricis ornatus violenter diripiat et munditiam
tuam, qua regnis omnibus antecellis, barbarica feditate contaminet.
/*

Age nunc, Messana civitas, potens et multa civium nobilitate
prepollens, quo putas indemnitati tue prospiciendum consilio ut
possis barbarorum primos conatus elidere et hostiles copias a Fari
transitu prohibere? Expedit tibi mature deliberare quid agas, nam
quia transeuntibus in Siciliam prima post traiectum ratibus Farum
occurris, primos etiam pugnantium impetus sustinere primaque
bellorum auspicia cogeri experiri. Certe si civium tuorum virtutem
et audaciam, senes tuos maturandis aptos consiliis, iuvenes
rebus bellicis assuetos, murorum etiam ambitum densis turribus circumseptum
inspicias, si vires tuas quibus sepe Grecorum superbiam
contrivisti, quibus Africam Hispaniamque depopulans ingentem
inde predam et opima sepe spolia revexit, diligenter attendas,
multum hinc tibi roboris et fiducie, multum spei ac securitatis
accrescat. Nichil ergo tibi formidinis, nichil terroris incutiat turbulente

[Page 175]

gentis barbaries, cuius si primos incursus fortiter resistendo
substineas, poteris durissimum de cervice tua iugum excutere
et immortalem tibi gloriam nomenque celebre propagare.
Ve tibi Cathaniensium civitas, que adversantem toties experta
fortunam nullis unquam cladibus eius sevitiam mitigare aut compescere
potuisti! Nam si veteres annalium revolvimus ystorias, inveniemus
te frequenter et pestilentibus exhaustam nebulis, et
atroci bellorum clade consumptam ignemque in te aliquotiens de
cavernosis Ethne fornacibus in modum fluminis emanasse. quod
si nostri temporis mala et que ipsi vidimus volumus recensere,
nuper te vehemens terre motus tanta concussit violentia ut cunctis
ruentibus edificiis haud facile numerabilem utriusque sexus multitudinem
lignorum ac lapidum moles oppresserit. Nunc autem,
ut sic fortune lentescat improbitas, post multa et varia calamitatum
genera turpissime tandem addiceris servituti.

Iam te Siracusana civitas diuturne pacis pertedeat; iam, si potes,
ad bellum tibi vires instaura et ea qua florere soles eloquentia
civium tuorum mentes erige, murorum ambitum propugnaculis
densis attolle et angustum illud spatium quod duobus portibus interiectum
insule tibi nomen invidit, extractis turribus premunire festina,
si forte barbarorum possis incuribus obviare. verum ad hoc
tibi, pro dolor!, vires non suppetunt et conatus tuos tam inopia
civium quam paucitas bellatorum elidunt. Servire barbaris heu

[Page 176]

cogetur antiqua illa Corinthiorum nobilitas, qui, patriis olim relictis
sedibus, in Siciliam transeuntes et urbi construende locum ydoneum
perquirentes, tandem in optima et pulcherrima parte Sicilie
inter inequales portus menia tua loco tutissimo construxerunt.
Quid tibi nunc prodest phylosophorum quondam floruisse doctrinis
et poetarum ora vatifici fontis nectare proluisse? Quid iuvat
Dionisii sibique similium de cervice tua iugum improbum excussisse?
Satius quidem tibi esset ac tutius Siculorum adhuc tyrannorum
sevitiam pati, quam barbare fedeque gentis tyrannidem
experiri. Ve tibi fons celebris et preclari nominis Aretusa, que
ad hanc devoluta es miseriam ut que poetarum solebas carmina
modulari, nunc Teutonicorum ebrietatem mitiges et eorum servias
feditati! Ideo in solum natale fugiens, et immensa maris
spatia longis tractibus subter labens, in civitate Siracusana caput
attollis proximoque mari influens, Alpheum, quem ante fugeras, in
maiori portu se tibi immiscentem offendis! Longe melior,
Ciane, conditio tua, que paulatim fluendo deficiens, in eumdem
portum vix modico rivo decurris, aquas tibi furtim occulteque
subtrahens ne contactu barbarico polluaris.
Quid autem futuram Agrigentinorum calamitatem defleam?
Quid imminentem Mazariensium cladem recenseam? Pretero
Cefaludi nova menia misera turpique servitute dampnanda;
taceo Pactensium agros furentis populi rapinis expositos; ad te
michi veniendum est, urbs opinatissima, totius regni Sicilie caput
et gloria, quam etsi digne laudare non valeo, tacere tamen omnino
non possum, tam accepti memor beneficii quam singularis glorie
tue miraculo provocatus. Quis enim tanto non succumbat oneri

[Page 177]

vel quem ingentis ausi postmodum non peniteat, si Panormum
laudibus extollere et eius gloriam verbis equare contendat? Quia
vero semel conceptum verbum intra pectoris claustra continere
non possum, temptabo facultate qua valeo pauca de laude ipsius
breviter succincteque perstringere, ut ex hoc ipso appareat quanta
sit lamentatione deflenda, quanta fuerit dotibus gloria.
Hec ergo civitas in plano sita, maris ex uno latere crebris
insultibus fatigatur, cuius tamen fluctibus retundendis *Vetus palatium*,
quod dicitur *Maris castellum*, murosque multa turrium
densitate munitos opponit. Alterius vero lateris partem oppositam
palatium Novum insedit, mira ex quadris lapidibus
diligentia, miro labore constructum, exterius quidem spatiose murorum
anfractibus circonclusum, interius vero multo gemmarum
aurique splendore conspicuum; hinc habens *turrim Pisanam* thesaurorum
custodie deputatam, illinc *turrim Grecam* ei civitatis
partique *Kemonia* dicitur imminentem. Medium vero locum
pars illa palatii que *Ioharia* nuncupatur, plurimum habens decoris,

[Page 178]

illustrat, quam multiformis ornatus gloria prefulgentem, rex ubi
otio quietique indulgere voluerit, familiarius frequentare consuevit.
Inde per reliquum spatum varie sunt circumquaque disposite
mansones matronis puellisque et eunuchis, qui regi regineque
serviunt deputate. Sunt et alia ibidem palatiola multo quidem
decore nitentia, ubi rex aut de statu regni cum familiaribus suis
secretius disserit, aut de publicis et maioribus regni negotiis locuturus
proceres introducit. Nec vero nobiles illas palatio adherentes
silentio preteriri convenient officinas, ubi in fila variis distincta
coloribus serum vellera tenuantur et sibi invicem multiplici
texendi genere coaptantur. Hinc enim videoas *amita*, *dimitaque*
et triamita minori peritia sumptuque perfici; hinc et

[Page 179]

examita uberioris materie copia condensari; hinc *diarodon*
igneo fulgore visum reverberat; hic diapisti color subviridis intuentium
oculis grato blanditur aspectu; hic *exarentasmata*

[Page 180]

circulorum varietatibus insignita, maiorem quidem artificum industriam
et materie ubertatem desiderant, maiori nichilominus
pretio distrahenda. Multa quidem et alia videoas ibi varii coloris
ac diversi generis ornamenta in quibus et sericis aurum intexitur,
et multiformis picture varietas gemmis interlucentibus illustratur.
Margarite quoque, aut integre cistulis aureis includuntur, aut perforate
filo tenui connectuntur et eleganti quadam dispositionis
industria picturati, iubentur formam operis exhibere. Porro ex ea
parte que urbem respicit palatum ingressuris, capella regia primum
occurrit sumptuosi operis pavimento constrata, parietes habens
inferius quidem pretiosi marmoris tabulis decoratos, superius autem
de lapillis quadris, partim auratis, partim diversi coloris,
veteris ac novi Testamenti depictam ystoriam continentes. supremi
vero fastigii tabulatum insignis elegantia celature et miranda
picture varietas passimque radiantis auri splendor exornant.
Sic ergo depositum, sic ornatum, sic omnimode voluptatis
gratia delibutum palatum, tanquam caput reliquo corpori, sic
toti supereminet civitati, que trina partitione distincta, tres in se
particulares, ut ita dixerim, continet civitates. Quarum que inter
extremas media collocatur, nobiliori hedificiorum structura prepollens,
ingenti murorum altitudine ab utraque dextera levaque seiungitur,
latitudinis parum habens, in longum vero spatio maiore
orrecta, ut si quis duas eequales equalium circulorum minores

[Page 181]

portiones ad cordam unam coniungat. Hanc item tres vie dividunt
principales, que totam eius longitudinem metiuntur; harum
media, que *vicus Marmoreus* nuncupatur et rebus deputatur
venalibus, a parte superiori vie *Cooperte ad palatum*
Arabum indeque ad *Inferiorem portam* iuxta *forum*
Sarracenorum directe protenditur; alia quoque a turre Pisana
per viam Coupertam ad domum archiepiscopi, iuxta maiorem ecclesiam,

[Page 182]

mox ad *portam Sancte Agathes* deincepsque per
domos Maionis admirati ad predictum forum Sarracenorum
pertransit, ibidem vie Marmoree coniungenda. Tertia sane ab
aula regia que palatio subest, per domum Sedicti sarraceni,

[Page 183]

ad edes Silvestri comitis et capellam Georgii admirati porrigitur,
et inde ad propinquam urbis portam obligata deflectitur.
At vero dextera pars civitatis, a monasterio Sancti Iohannis prope
palatum in Kemonia constructi habens initium, muris usque ad
mare circumductis includitur. Pars autem sinistra ab ipsius item
palatii confinio ad castellum se Maris extendens, ibidem finem sortitur,
ingenti nichilominus murorum vallata circuitu. Spatium
quoque quod inter medianam civitatem et portum extenditur, ubi
due reliqua partes urbis convenient, *Amalfitanorum* continet
vicum, peregrinarum quidem mercium copia locupletem, in
quo vestes diversi coloris ac pretii tam serice quam de gallico
contexte vellere emptoribus exponuntur.

[Page 184]

Quis vero preclare huius urbis miranda edifica; quis fontium
passim ebullientium suavissimam ubertatem; quis semper virentium
arborum amenitatem aut aqueductus civium habundanter
usibus servientes satis mirari sufficiat? Quis insolite planitiei gloriam
que inter urbis menia montesque quatuor fere milibus patet
laude congrua prosequatur? O beatam cunctisque seculis predicandam
planitiem, que intra gremium suum arborum fructuumque
genus omne conclusit, que quicquid usquam est deliciarum sola
pretendit, que voluptarie visionis illecebres cunctas sic allicit ut
cui semel eam videre contigerit, vix unquam ab ea quibuslibet
possit blandimentis avelli! Illic enim mireris vineas tam fecundi
cespitis ubertate quam preclari germinis generositate gaudentes;
illic hortos aspicias mirabili fructuum varietate laudandos turresque
ad hortorum custodiam et voluptatis opera preparatas, ubi et rote
volubilis obsequio descendantibus itemque adscendantibus urceolis
puteos videas exhauriri cisternasque adiacentes impleri, et inde
aquam per rivulos ad loca singula derivari ut irrigatis areolis
vegetent, et crescent citruli angusta brevitatem contracti, et cucumeres
tractu longiore producti melonesque ad formam magis sphericam
accidentes, et cucurbite per arundines connexas latius evagantes.
Hinc si convertas oculos ad diversas arborum species,
videbis mala punica vel acetosa vel dulcia granis interius occultatis,

[Page 185]

exterius contra intemperiem aeris duro cortice premuniri.
Citros quoque triplici substantie diversitate distingui, cum cortex
exterior colore simul et odore caliditatis preferat argumentum;
quod autem circa centrum est acetoso liquore frigiditatis prestet
indicium; medium vero inter utrumque temperatus comprobetur.
Videas ibi et lumias acetositate sua saporandis cibis
ydoneas et arengias acetoso nichilominus humore plenas interius,
que magis pulcritudine sua visum oblectant quam ad aliud utiles
videantur. Hae quidem ab arbore sua etiam cum maturaverint
difficile cadunt, et novis supervenientibus veteres cedere dediantrur;
nam et tertii anni poma iam rubea et secundi adhuc
virentia et presentis anni flores in eadem possunt arbore pariter
inveniri. Hec autem arbor continue iuventutis pollens insignibus,
nec fit yemis sterili senectute deformis, nec ingruentis frigoris
asperitate frondibus spoliatur, sed virentibus semper foliis veris
temperiem representat. Quid vero nuces amigdali aut ficuum
diversa genera vel olivas condiendis cibariis et lucernarum fovendis
ignibus oleum ministrantes enumerem? Quid loquar siliquarum
vaginulas et fructum ignobilem insipida quadam dulcedine rusticorum
ac puerorum gutturi blandientem? Mireris potius palmarum
procera cacumina dactilosque detonse arboris summo vertice
dependentes. Quod si in partem aliam visum deflexeris, occurret

[Page 186]

tibi mirandarum seges harundinum que *cannemellis*
ab incolis nuncupantur; nomen hoc ab interioris succi dulcedine
sortientes. Harum succus diligenter et moderate decoctus in speciem
mellis traducitur; si vero perfectius excocitus fuerit, in zucari
substantiam condempsatur. Communes autem fructus et qui
penes nos habentur hiis adiungere superfluum existimavi.
Hec igitur breviter perstringendo descripsi ut ex paucis multa,
ex parvis maiora solliciti prudentia lectoris intelligat; simulque
ut, quemadmodum dictum est, liquidum fiat quantis lamentationibus
quantaque sit opus copia lacrimarum ut digne civitatis huius
calamitas defleatur. Vivas diu, Petre karissime, diuque gaudeas
et de statu regni tuoque vicarias pro te literas michi mittere non
graveris.

[Home](#)

Hugo Falcandus. Date: 2005-04-21